

Ecclesie adscribi. — 43. Semel ac quis alicui Ecclesie adscriptus est, ita eidem alligatur, ut eam inconsulto Episcopo nunquam deserere possit. — 44. Quae disciplina juris communis partem hodieum constituit. — 45. Ita ut nec Episcopis alienos Clericos sine licentia proprii Episcopi suscipere ex canonibus unquam licitum esse possit. — 46. Quam odiose semper fuerint Clericorum de una ad aliam Ecclesiam migrationes. — 47. Clerici ad ordines promoveri non possunt, nisi a proprio Episcopo. — 48. Nec huiusmodi promotio peragi valet, nisi ad titulum illius Ecclesie, cui Clerici sunt adscripti. — 49. Titulus ordinationis quonam sensu acceptus fuerit. — 50. Cumpatrimonii titulus invaluerit titulus ecclesia-

ARTICULUS I.

Quoad ea, quae concernunt Clerici nomen, habitum et tonsuram.

(1. Clerici nomen venit a verbo Graeco *Cleros*, quod Latine *sors*, seu *haereditas* dicitur; c. *Cleros* 1. *Distinct.* 21. ibi: « Cleros et Clericos, hinc appellatos credimus, quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum; Cleros enim Graece, sors Latine, vel haereditas dicitur (1). » (2. Et ideo dicuntur Clerici, quia sunt de sorte Domini, et Domini partem habent; *cit.* cap. *Cleros*, ibi: « Propterea ergo dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent. » (3. Hinc Clerici describuntur, quod sint *homines Christiani, qui a negotiis, curisque secularibus remoti, servitio, et cultui Divino specialiter sunt deputati.* *Cit.* cap. *Cleros* ibi: « Generaliter autem Clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt; et cap. Duo sunt genera 7. caus. 12 qu. 1. ibi: Duo sunt genera Christianorum, est autem unum genus, quod mancipatum Divino Officio, et deditum contemplationi, et Orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici..... Cleros enim Graece, Latine sors; inde huiusmodi homines vocantur Clerici, id est sorte electi..... Aliud vero genus est Christianorum, ut sunt Laici; Laos enim Graece, est populus Latine, etc. » (4. Clericorum nomen bifariam potest sumi; scilicet large, seu generaliter; et stricte, seu specialiter, magisque proprie. (5. Clericorum nomine large, seu generaliter capto in mate-

(1) Clericorum nomine sequioribus saeculis donatos fuisse, nedum illos, qui Ecclesiae ministerio erant adscripti: verum etiam eos omnes, qui studiis disciplinisque liberalibus perdiscendis vacabant, illorum temporum scriptores passim ostendunt. Oedericus Vitalis Anglus, qui saeculo XII floruit. *Histor. Eccles.* lib. 3. « Rodolphus autem, inquit, quintus Frater, Clericus cognominatus est, quia peritia litterarum, aliarumque artium apprime imbutus est. » Willelmus Gemeticensis l. 3, cap. 10. *Cognomento Clericus quia copiose litteratus erat.* *Speculum Saxonum*, l. 1, art. 3, § 4. *Impossibile est aliquem Clericum nominare, nisi sit doctus.* *Hist. Episcoporum Eystetensium in Bavaria.* *Iste Joannes Episcopus.... Magnus Clericus in iure canonico fuit.* Hinc apud Gallos idem sonabat vox, *Clerc, Clericus*, ac vir doctus, et *Clergie, Clericatus*, ac doctrina et scientia. Loca congressit Du Cange *Glossar. med. et inf. Latinit.*, ver. *Clericus*. Inde regis consilii Clerici dicebantur. *Clerici quoque nomine regis consilii*, inquit Matthaeus Parisius ad an. 1250. Ea de causa in Epitaphio Guillelmi Ambianensium Episcopi apud Morlerium legitur.

stiens acceptus fuit pro proventibus, e quibus honeste vivere possit. — 51. Differentia inter titulum *beneficiale* et *patrimoniale*. — 52. Quidam concludendum ex hac differentia. — 53. Clerici ea integritate vivant, ut quae verbo aliis docent, operibus non negent. — 54. Hinc plurima a Clericis sunt plane cavenda, quae enumerantur. — 55. An supremus princeps possit restringere exemptionem Clericorum. — 56. A quibus oneribus immunes sint Clerici. — 57. An immunitas Ecclesiae et Clericorum iure divino sit praecipua et stabilita. — 58. 59. De capitatione. — 60. Optimum et efficacissimum medium conservandae immunitatis bonorum ecclesiasticorum.

ria favorabili veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primae Tonsurae; cap. *Cleros* 1. d. 21. cap. *Cum contingat* 22. de *etate*, et *qualit. praeficiendor.* (6. Sive in Minoribus, et Majoribus Ordinibus sint constituti; d. c. *Cleros*, et cap. *Clericum* 2. dist. 72. (7. Sive etiam sint Canonici Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiarum; cap. *cum tibi* 18. de *verb. significat.* ibi: « Appellatio Clericorum non solum alios, sed etiam Canonicos comprehendit, et cap. Per exceptionem 9. de privileg. in 6. ibi: Si autem Clerici cujuscunque Ecclesiae eximuntur; tunc tam Canonici, quam alii Clerici eximuntur. » (8. Sive sint in quacunque dignitate constituti, etiamsi sint Episcopi; cap. *Si quis suadente Diabolo* 29. caus. 17. qu. 4. et *Abbas in cap. Cum tibi* 18. de *verb. significat.* num. 4. et in *rubrica de vita, et honestat. Clericorum* num. 8. et 9. *Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiastic. univers. cap. 39. num. 4.* et alii passim. (9. Sive etiam sint Cardinales; cap. *Ex gestis.* 1. de *Clericis non residentibus*, *Barbosa loc. cit.* et alii passim.

(10. Imo in materia favorabili veniunt etiam Monachi, quinimo et Moniales; *dict. c. si quis suadente* 29. caus. 17. q. 4. ubi Clerici et Monachi in materia favorabili, totumque statum Ecclesiasticum respiciente aequi parantur; et licet ibi facta non sit mentio expressa de Monialibus, nihilominus Canonem illum comprehendere etiam Moniales fuit postea declaratum; c. de *Monialibus* 33. de *Sentent. Excomm.* (11. Et quantum ad hoc etiam Conversi,

Clericus Angelici fuit hic Regis Ludovici.

Idem mos, eademque consuetudo apud Italos invaluerat. Sic chronicon Andrense « aliquibus Romanis annitentibus, Hispanum quemdam, Burdunum nomine, satis Clericum ei fecit subordinari. » De Stephano de Vicomercato in Chronico Mediolan. Ord. Praedic. apud Muratorium (*Rerum Italic. script. tom. III, pag. 60.*) dicitur: « Hic fuit in saeculo valde honorabilis Clericus. » Joannes Villanius, l. 4. *Hist.*, cap. 3, scriptum reliquit « post Hugonem Ciapettam regnasse Robertum filium, fuisseque magnum Clericum in scriptura. » Ex quibus, quae adduci possent, monumentis evidenter deducitur XIII saeculo, et sequentibus, ad restorationem usque litterarum in more fuisse positum, ut viri litterati Clerici compellarentur. Haec jam a pluribus eruditis viris fuerunt observata, et illustrata, praesertim a Clariss. Vir. Liberato Fassonio Schol. Piar. in quaestione, cui titulus: *De viro Laico cum Haereticis disputante*, habita in regia Calaritana Academia ann. 1765, impressa Liburni apud Marcum Cottellini, a qua haec excerptimus. (EDIT. BARRIELL.)

et Conversae; *dict. capit. de Monialibus* 33. de *Sentent. Excomm.* et cap. *Non dubium eod. tit.* (12. Etiam Novitii, et Novitiae; cap. *Religiosos*, de *Sentent. excomm.* in 6. (13. Item Tertiarii, et Tertiariae Mendicantium in Congregatione, et Communitate viventes, ex Constit. Leonis X. incip. *Dum intra*, edita 1. Mart. 1518. in Concil. Lateranensi sess. 11. (14. Item moniales Tertiariae in propriis domibus viventes, virginalem, et caelibem vitam ducentes ex voto Castitatis de Ordinarii licentia emisso, ex eadem Constit. Leonis X. incip. *Dum intra*. (15. Item Eremitae habitum Eremiticum ex legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia Episcopi, vel alterius Praelati alicui Ecclesiae, vel Eremitorio in Communitate, vel separatim deservientes, istis censentur Personae Ecclesiasticae. Sic Glossa in cap. *Qui vere* 12. caus. 6. qu. 1. *Verb. vero*, afferens quod tales Eremitae gaudent privilegio Clericorum, licet non renuntient propriis; « Fagn. in c. Nullus n. 61 de foro competent. post. Cardin. in Clem. Per litteras num. 9 de Praebend. Innocentius in cap. *Cum Monasterium* 13. de elect. dicens, quod licet Eremitae possint habere proprium, quia non abrenuntiant, tamen Ecclesiasticae personae sunt; Anaclet. lib. 3. *Decret. tit. 1. sess. 1. de vita, et honest. Cleric. et multi alii.* » (16. Item omnes illi, qui assumpto Habitu Religioso, Monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynas quaerunt, et prope Monasterium earum more degunt. (17. Sic etiam Laici, qui habitu Clericali incedunt, et inserviunt Congregationi Presbyterorum, qui collegialiter sub certo Superiore modo religioso vivunt. Sic Antonell. n. 22. *Matthaeucci Officialis Curiae, quoad excommunicationem Canonis* num. 10. *Felix Potestas de Ministr. Sacrament. Penitent. c. 3. n. 3560.* et alii. Et colligitur ex c. *Duo sunt genera* 7. caus. 12. q. 1. ubi illud Christianorum genus reputatur inter Clericos, « quod mancipatum Divino Officio, et deditum contemplationi, et orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici et Deo Devoti, videlicet conversi. » (18. Item Equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgo dicti *Cavalieri di Malta*; ipsi enim emittunt tria vota substantialia a Sede Apostolica approbata, et sunt vere Religiosi, etsi se invicem percutiant. Pontifex eis concedit, ut ab excommunicatione, hac de causa incursa, absolvi possint ab eorum Priore Sacerdote; cap. *Canonica* 50. de *Sentent. Excomm.* (19. Clericorum nomine stricte, seu specialiter in materia odiosa, cum scilicet agitur de damno, vel incommodo Clericis inferendo, veniunt duntaxat soli inferiores Clerici Saeculares; non autem Canonici, Abbates, aliique in Dignitate Ecclesiastica constituti, nisi secus exprimat, vel aliunde de opposito constet; arg. *Regul.* 15. *Juris* in 6. *Odia restringi, et favores convenit ampliari; et Regula* 40. etiam in 6. *In panis benignior interpretatio est facienda;* et tenet Fagnan. in cap. *Bona Memoriae de postulat. Praetor.* num. 12. *Belletus Disquis. Cleric. par. 1.*

§ 2. num. 4. et 5. et sequent. *Card. Tusc. lit. C. conclus.* 337. num. 4. et sequent. *Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiast. cap. 39. n. 6. et seq. et alii passim.* (20. Sic nomine Clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, eorumque Superiores, et multo minus S. R. E. Cardinales; arg. c. *Sedes Apostolica* 13. de *rescriptis*, cap. *Periculosum* 4. de *Sent. excomm.* in 6.

(21. Nec veniunt Canonici, aliique in Dignitate Ecclesiastica constituti; arg. *cit. cap. Sedes Apostolica* 15. de *rescriptis*; ubi dicitur, quod *maiores, et digniores personae sub generali clausula non intelligantur includi;* et cap. *Statutum* 22. de *election.* in 6. *Fagnan. in citat. cap. Bonae memoriae* num. 12. *Abbas ad rubr. titul. 1. de vita et honestat. Clericorum* num. 12. *Barbosa loc. cit. num. 6.* et alii passim. (22. Nec etiam nomine Clericorum in odiosis veniunt Monachi, seu Regulares utriusque sexus, nisi istud exprimat, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat; arg. cap. *A Subdiacono* 5. dist. 93. *Abbas in cap. Non amplius* num. 3. et *Fagnan. ibid. num. 7. de instit. Barbosa loc. cit. num. 9.* *Roman. Concil. 219. et 418. Bellet. loc. citat. ad § 2. num. 26.* et colligitur etiam ex cap. *Si quis suadente* 29. caus. 17. qu. 4. et cap. *Super Specula* 10. *Ne Clerici, vel Monachi*, aliisque consimilibus Canonibus, ubi Clerici, et Monachi, ponuntur tanquam quid diversum.

(23. Habitum, et Tonsuram Clericalem deferre tenentur Clerici in Sacris Ordinibus constituti, et etiam Clerici inferiores, si Beneficium Ecclesiasticum habeant; cap. *Clericus* 8. dist. 41. cap. *Clerici Officia* 15. de *vita, et honestate Cleric. Clem. Quoniam* 2. de *vita, et honestat. Clericorum.* Et Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. de *reform.* ibi: « Etsi habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam Habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. » (24. Imo Clerici in Sacris, seu Beneficiati habitum Ordini, et Dignitati convenientem non deferentes subiciuntur gravissimis penis. Si enim postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem illorum Ordini, et dignitati congruentem non detulerint, sunt in primis puniendi per suspensionem ab Ordinibus, Officio, et Beneficio, et si semel moniti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et Beneficiorum puniri possunt, ac debent; *Concil. Trident. loco. cit.* ibi: « Propterea omnes Ecclesiasticae personae, quae aut in Sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, Officia, aut Beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per Edictum publicum moniti fuerint, honestum Habitum Clericalem, illorum Ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi Ordinationem, et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac Officio, et Beneficio, ac fructibus redditibus, et proventibus ipsorum Beneficiorum, nec non si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per pri-

vationem officiorum, et Beneficiorum hujusmodi coerceri possint, et debeant, Constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quæ incipit, *Quoniam*, innovando, et ampliando. » (25. Quinimo post Concilium Tridentinum fuit edita a Sixto V. Constitutio incipiens *Cum Sacrosanctum*, sub dat. 5. *Idus Januar.* 1588. in qua statuit, quod Clerici Beneficiati non deferentes Habitum, et Tonsuram Clericalem ipso facto absque ulla monitione, citatione, aut Judicis decreto ipsis Beneficiis privati dicantur, adeo ut ipsa Beneficia vacent, et uti vacantia, aliis libere conferri valeant, quoties Clericalem Habitum non deferant. Lotter. *de re Benefic. lib. 3. qu. 16. n. 92. Monacell. tom. 2. tit. 15. formul. 4. num. 2.* et Benedictus XIV. *Institut. Eccles. 71. num. 12. Rota coram Caccia decis. 1290. num. 1. et coram Molinos in Barchinon. Beneficiorum 15. Aprilis 1704. § Aretius*, in quibus decisionibus firmatur, quod non juvet allegare non usum dictæ constitutionis Sixtinæ, quoniam Garcias *de Benefic. par. 7. cap. 1. num. 33. Barbosa supra Concil. cap. 6. sess. 14. de reform. num. 4. Cortiad. dec. 119. num. 13.* id tenentes fuerunt reprobat.

(26. Clerici vero in prima Tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, et Beneficia Ecclesiastica, seu jus ad illa nondum habentes, non tenentur deferre Habitum, et Tonsuram Clericalem nisi causative, quatenus velint gaudere privilegiis Clericalibus, ut notant Abbas, et alii in *cap. Fin. de Cleric. conjugat. Riccius Decis. Cur. Archiepiscop. Neapolit. 162. n. 2. part. 2. Genuens. prax. Cur. Archiepiscop. Neapolit. cap. 45. n. 1. secund. Impres. Neapolit. 1602. pag. 280.* et communiter, et clare deducitur *ex d. Clementina Quoniam 2. de vita, et honestat. Clericor.* ex Conc. Trident. *loc. cit.* et ex d. Constitutione Sixti V. incipiente *Cum Sacrosanctum*, quia dum ibi imponunt Clericis obligationem deferendi Habitum, et Tonsuram Clericalem, expresse loquuntur de Clericis in Sacris vel Beneficia Ecclesiastica, aut saltem jus ad illa habentibus. (27. Notanter tamen dicitur Clericos Minoristas non Beneficiatos non teneri deferre Habitum, et Tonsuram Clericalem, nisi causative, quatenus velint gaudere privilegiis Clericalibus; quia Clerici in prima Tonsura, aut etiam in primis Minoribus Ordinibus constituti, non gaudent privilegio Fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de reformat.* ibi: « Is etiam (scilicet prima Tonsura initiatus, aut etiam in Minoribus Ordinibus constitutus) Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens, alicui Ecclesie ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos, versetur. » (28. Sufficit autem quælibet trium conditionum a Concilio Tridentino præscriptarum, ut Clerici Tonsura Clericali insigniti, vel etiam

in Minoribus Ordinibus constituti privilegio Fori gaudeant, quia *ex Regula 70. Juris in 6. In alternativis sufficit alterum impleri*; et tenent passim Doctores; sed de his melius in articulo sequenti.

(29. Qualitas et forma præcisa Habitus Clericalis, licet in Jure communi non reperitur in omnibus, et per omnia determinata, et stabilita, habentur tamen tum in Jure communi, tum in Conciliis, tum in Constitutionibus Pontificiis varia præscripta circa Habitum, seu vestitum Clericorum. (30. In primis enim præscribitur, ne Clerici utantur vestibus sæcularibus sub pœna Excommunicationis; Concil. Roman. 1. sub Zacharia *capit. 3. et capit. Episcopi 3. caus. 21. quæst. 4.* ibi: « Episcopi, Presbyteri, Diaconi, sæcularibus indumentis non utantur, nisi ut concedet, tunica sacerdotali... quod si præsumpserint contra statuta agere, communione priventur, etc. (31. *Secundo præscribitur, ut Clerici pannis rubris, aut viridibus, nec non manicis, aut sotularibus consutiis, frenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur; cap. Clerici Officia 14. de vita, et honestate Clericor. et Clement. cap. Quoniam 2. de vita, et honestate Clericor.* (32. *Tertio præscribitur, ut Clerici Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competat ex Officio Dignitatis; d. cap. Clerici Officia 15. de vita, et honest. Clericor.* (33. Quarto præscribitur, quod Clerici non utantur publice veste virgata, vel partita nisi rationabilis causa subsit; *Clementin. c. Quoniam 2. de vita, et honest. Clericor.* Per vestem autem *virgatam, vel partitam* intelligitur vestis diversi coloris, aut diversarum partium superinductione notabilis; *arg. cap. Vidua 16. caus. 20. qu. 1.* ibi: « Nec diversi coloris, aut diversæ partis eadem sit notabilis vestis, sed religiosa, et non suspecta. » Et nota Glossa *in cit. Clement. Quoniam verb. Partita*, et Barbosa *ibid. n. 2.* et Bonacina *tom. 3. de Censuris disp. 3. qu. 6. punct. 6. num. 1.* asserens nomine *vestis virgatæ, vel partitæ*, intelligi vestem habentem diversos colores intextos cum ipso panno, vel artificiose superinductos, seu superimpositos. (34. *Quinto præscribitur* ut vestimenta etiam, vel calceamenta eis (videlicet Clericis) nisi quæ religionem deceant, uti, vel habere non liceat; *cap. Clerici 22. dist. 23.* (35. *Sexto præscribitur*, ut clausa deferant de super indumentis, nimia brevitate, vel longitudine non notanda; *cap. Clerici Officia 15. de vita, et honest. Clericor.* (36. Septimo jubentur Clerici *secundum Aaron talarem vestem induere; cap. Non liceat 32. dist. 23.* quod idipsum etiam statuit Sixtus V. Constitut. incip. *Cum Sacrosanctum*, ibi: « Tonsuram, et Habitum Clericalem, vestes scilicet talares deferant. » Unde potest Episcopus de Jure vestem talarem Clericis præscribere, ipsique eam deferre tenentur, nedam *ex dict. cap. Non liceat 32. dist. 23.* et ex Constit. Sixti V. incip. *Cum Sacrosanctum; ex cap. Episcopi 3. et cap. Sine ornatu 4. caus. 21. q. 4. Cle-*

*ment. 1. de vita et honest. Clericor. Conc. Mediol. 1. part. tit. de Cleric. Trident. sess. 14. cap. 6. et sess. 22. cap. 1. de reformat. et præsertim Sacerdotibus commorantibus in Civitate, qui continuo illam gestare debent, ut probat Sacra Congr. Concil. in Hortana 8. Julii 1690. Aliis autem quibuscunque Clericis hoc idem injungere in functionibus Ecclesiasticis, non obstante exiguitate, seu paupertate locorum; sic respondit eadem Sacra Congregat. in Comen. *Edicti 4. Aprilis 1693. in Vigilien. Synodi in Congregatione deputata 20. Maii 1699.* in responsione ad quintum; et secuta est S. Congr. Episc. in *Faventina 2. Maii 1699.* Per talarem autem vestem in rigore intelligitur illa, quæ pertingit usque ad talos, sicque hominem usque ad imam partem pedum tegit; Garcias tamen *part. 2. de Benefic. cap. 1. num. 21. et 22.* cum aliis notat ex epicheia, et æquitate etiam illas judicari vestes talares, quæ juxta consuetudinem locorum Clericis sint decentes, quamvis non sint nimis longæ, neque usque ad pedes descendant. (38. Unde pro discernenda decencia vestium Clericalium erit attendendum an ipsæ sint conformes communi usui proborum Clericorum, seu consuetudini Provinciarum, Civitatum, aut locorum in quibus Clerici commorantur, quoniam ut recte observat Cardinalis de Luca in annotatione ad Concil. Trident. *disc. 24. num. 22. et sequent.* in Civitatibus, aliisque locis civilibus, in quibus cum decore vivitur, vestes Clericales sunt longæ ultra talos; in parvis autem, vel obscuris locis, ob Clericorum paupertatem, vix ad genua descendant, ita tamen, ut ob diversum usum a sæcularium vestibus adhuc distinguantur, attendendo simul ad diversitatem Regionum, vel personarum varios usus secundum consuetudinem locorum, nam consuetudo et optima Legum interpret; *c. Cum dilectus 8. de consuetudine, et l. Si de interpretatione, ff. de legibus, Glossa in cap. Clerici Officia 15. de vita, et hon. Clericor. vers. de auratis, Bellet. p. 1. § 16. de Disciplina Cleric. num. 12.**

(39. De primo ad ultimum vestes Clericorum debent sic suo statui esse decentes, ut nec sint pomposæ, aut vanam jactantiam, vel superfluitatem redolentes; *cap. Parimoniam 5. dist. 41. cap. omnis jactantia 1. cap. Præcipimus 5. caus. 21. quæst. 4. et cap. Multa sunt 1. Ne Clerici, vel Monachi; nec sordidæ, vel laceratæ, ne vilescat dignitas Clericalis; sed inter utrumque præseferant medium aliquod cujuscunque statui, et ordini conveniens. Ita Abbas in cap. Clerici Officia 15. de vita et honest. Clericorum num. 17. Bellet. *loc. cit. § 15. num. 18. et seq. Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiast. cap. 40. num. 27.* et communis aliorum cum Sancto Hieronymo, qui in *Epistola 1. ad Nepotianum, cap. 11.* sic ad propositum scribit: « Vestes cultas æque devota ut candidas; ornatus ut sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. » (40. Unde Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6. de reformat.* expresse statuit,*

quod oportet, « Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre. » *Ex sess. 24. c. 12. circa finem de reformat.* inter alia præcipit, ut Clerici « vestitu insuper decenti tam in Ecclesia quam extra assidue utantur. » (41. Caveant igitur Clerici, ne nimio cultu in vestitu utantur, scientes quæ detestando eorum culpam scribit Sanctus Gregorius his verbis: « Sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putent esse peccatum, quod si videlicet culpa non esset, nequaquam Sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod Dives, qui torquetur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. » (42. Ut enim inquit S. Bern. *de consideratione lib. 8. c. 11.* « Forma vestium deformitatis mentium, et morum indicium est, quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt? Nempe habitu Milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent; nam neque pugnant ut milites, nec ut Clerici evangelizant. » (43. Contra enim tales Clericos nimium cultum, aut affectatam compositionem ostentantes sic declamat Sanctus Hieronymus de custodia Virginitatis ad Eustochium scribens: « Sunt, inquit, quidam mei Ordinis, quibus omnis cura est in vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non polleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti annulis radiant, et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia; tales cum videris, sponso magis existimato quam Clericos. » (44. Non inficior tamen, quod non sit laudandus juxta qualitatem, et Dignitatem personarum decor, et competens vestium ornamentum, quæ morum manifestissima signa esse solent, dummodo in his redoleat Clericalis modestia, et caveatur excessus; inquit enim S. Ambrosius *lib. 1. Offic.:* « Decor corporis non sit affectatus, sed naturaliter simplex, neglectus magis quam exquisitus: non pretiosis, aut albetibus indutus sit Clericus vestimentis, sed communibus, ut honestati et necessitati nihil desit, nihil accedat nitoris. »

(45. Tonsura Ecclesiastica secundum Divum Isidorum Hispalensem Episcopum *lib. 2. de Offic. Eccles. cap. 4.* et Concilium Aquisgranen. sub Ludovico Pio *cap. 1.* originem sumpsit a Nazaræis, qui hoc præstabant in signum cujusdam devotionis, a quibus desumpserunt postea Apostoli, et in Ecclesiasticum usum traduxerunt, ut quicumque Ordinibus Ecclesiasticis essent initiandi, præciso crine præsentarentur. Ita refertur in dicto Concilio Aquisgranen. sub Ludovico Pio *cap. 1.* his verbis: « Tonsuræ Ecclesiasticæ usus a Nazaræis (ni fallor) exortus est, qui prius crine servato divina post magnam vitæ continentiam devotione completa caput radebant, et capillos in igne sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi, qui Divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, Sancti Dei crine præciso innoventur. » (46. Beda *lib. 5. Historia Anglorum cap. 22.* refert Divum Petrum primum omnium hanc Tonsu-